



## **Opvs Theologicvm**

**Mauro, Silvestro**

**Romae, MDCLXXXVII**

Q. 42. Proponitur doctrina lansenij de impossibilitate puræ naturæ, & nonem classes argumentorum, quibus eam impossibilitatem probare conatur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84131](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84131)

# QVÆSTIONVM THEOLOGICARVM LIBER SEXTVS.

Continens tractatus de possibilitate, & statu naturæ puræ  
ac de gratia naturam adiuuante, & eleuante.

*Ad quæst. 109. & sequentes 1. 2. D. Thomæ.*



VIA homo mouetur ad suum vltimum finem, hoc est ad beatitudinem, per actus voluntarios, liberos, & moraliter bonos, per actus nimirum virtutum, à beatitudine autem auertitur per actus moraliter malos, hoc est per peccata, ideo S. Thomas 1. 2. à quæst. 1. vsque ad 89. agit de beatitudine, de voluntario, de libero, de morali, ac de actibus, & habitibus moraliter malis, hoc est de vitijs, & peccatis. Quia rursus Deus vt principium extrinsecum per legem, & gratiam mouet nos ad faciendos actus bonos, quibus consequamur beatitudinem, & ad vitanda peccata, quibus beatitudinem amitteremus, ideo à quæst. 90. vsque ad 108. disputat de legibus; à quæst. 109. vsque ad 114. disputat de gratia. Nos quandoquidem libro quinto in tractatu de actibus humanis egimus de beatitudine, de voluntario, de libero, de morali, de peccato actuali, ac de habituali, hoc libro sexto, omisso tractatu de legibus, qui potius pertinet ad Theologos morales, agemus de diuina gratia: & quia gratia supponit possibilitatem naturæ puræ, agemus etiam de possibilitate, ac statu naturæ puræ, seu de supernaturalitate naturæ integræ, de qua natura integræ, quæ fuit in Adamo disputauimus tomo 1. à quæst. 254. vsque ad qu. 276. inclusiuè. Diuidemus igitur has quæstiones in quinque tractatus. In primo, qui erit ordine septimus, agemus de possibilitate, ac statu naturæ puræ, seu de supernaturalitate naturæ integræ. In secundo, qui erit octauus, de gratia in genere, eius nomine, definitione, ac diuisione. In tertio, qui erit nonus, de gratia actuali auxiliante, eiusque necessitate, & concursu ad actus salutares. In quarto, qui erit decimus, de gratia habituali sanctificante, & iustificante. In quinto, qui erit vndecimus, de merito, qui est effectus gratiæ.

## TRACTATVS VI

*De stata, & possibilitate naturæ puræ, seu de supernaturalitate naturæ integræ.*

### QVÆSTIO XLII.

*Proponitur doctrina Iansenij de impossibilitate naturæ puræ, & nouem classes argumentorum, quibus eam impossibilitatem probare conatur.*

1. **N**omine puræ naturæ Scholasticæ intelligunt naturam humanam & angelicam habentem omnes suas naturales proprietates, simul puram à peccato, & à dam donis supernaturalibus.

2. Quæritur, virum in hoc sensu pura natura fuerit de facto, vel sit possibilis naturaliter, aut de potentia absoluta Dei.

3. Quatuor sunt præcipuæ sententiæ. Prima est Aristotelis, & plurium Philosophorum gentilium, qui docuerunt puram naturam dari de facto. Existimant enim homines concipi, & nasci puros à peccato, (siquidem negarunt, vel potius ignorarunt peccatum originale) ac simul nudos donis supernaturalibus, quæ fuerunt illis ignora. Adhibebant homines per vires naturales liberi antequam sine villo dono supernaturali posse honorari viuere, acquirere habitus virtutum, & mereri, ac consequi suum finem naturalem, hoc est felicitatem, quæ iuxta Stoicos consistit ipsa virtute, iuxta Peripateticos in contemplatione Dei per creaturas, quæ contemplatio delectabilissima, & sit præmium virtutis. Idem proportionaliter docuerunt de Intellectibus gentijs, siue Angelis.

4. Secunda sententia est Pelagij, qui secutus est errorem Philosophorum gentilium, & eique more hæreticorum addidit alium errorem proprium, ac deteriorem errore gentilium. Primo ergo Pelagius cum Philosophis gentilibus docuit hominem de facto creatum, & nasci in pura natura, hoc est purum à peccato (negavit enim peccatum originale) & nudum donis supernaturalibus. Patet hoc ex verbis Pelagij, quæ refert Augustinus lib. 2. de gratia Christi, qui liber est de peccato originali, cap. 13. dicens. *Omne inquit bonum, ac malum, quo vel laudabiles, vel vituperabiles sumus, non nobiscum oritur, sed agitur à nobis. Capaces enim utriusque rei, non pleni nascimur, & ut sine virtute, sic sine vitio procreamur.* Dicit nos procreari sine vitio, & non vituperabiles; ergo sine peccato originali. Dicit rursus nos procreari sine virtute, ac non laudabiles; ergo sine donis supernaturalibus virtutum supernaturalium, & gratiæ, quibus donis profecto efficeremur laudabiles. Secundo docuit hominem per vires naturales liberi arbitrij sine adiutorio gratiæ posse obseruare omnia præcepta, adeoque posse credere, sperare, & diligere Deum, prout oportet ad merendum, & consequendum beatitudinem consistentem in visione immediata Dei. Patet. Nam ut refert Augustinus epist. 106. ad Paulinum, & latius lib. de Gestis Pelagij, Pelagius inter cætera docuit, *non esse liberum arbitrium, si Dei indiget auxilio, quoniam in propria voluntate habet unusquisque facere aliquid, vel non facere;* ergo docuit posse hominem per naturales vires liberi arbitrij sine Dei auxilio exercere omnes actus meritorios cuiuslibet præmij, etiam visionis Dei. Ideo Pelagius superbius sensit de viribus liberi arbitrij, quam Philosophi gentiles. Nam Philosophi gentiles docuerunt hominem per vires liberi arbitrij posse mereri, & consequi solam beatitudinem imperfectam consistentem in contemplatione Dei per creaturas; Pelagius docuit posse mereri etiam beatitudinem perfectam consistentem in visione clara, & immediata Dei.

5. Tertia sententia communis Theologorum docet tria. Primo docet naturam puram à peccato de facto fuisse. Patet: nam Angeli, & primi parentes fuerunt à Deo creati prorsus innocentes, & puri ab omni peccato, ac deinde sua voluntate peccarunt. Secundo docet naturam puram, seu nudam donis supernaturalibus non fuisse de facto. Patet: nam ex dictis tom. 1. qu. 173. nu. 8. & qu. 258. & 259. Angeli, & Adamus creati fuerunt cum donis supernaturalibus gratiæ, habituum, & perfectæ subiectionis partis inferioris respectu superioris. Tertio docet naturam puram non solum à peccato, sed etiam donis supernaturalibus carentem, esse possibilem, ideoque homines, & Angelos potuisse à Deo creati innocentes, ac relinquere in puris naturalibus sine vilo dono supernaturali gratiæ sanctificantis, habitu um inferiorum, per-

fectæ subiectionis partis inferioris respectu superioris, ac sine vlla ordinatione ad finem, & beatitudinem supernaturalem consistentem, in visione immediata Dei. Possibilitatem puræ naturæ in sensu explicato, ut docet Suarius tom. 1. de Gratia, Prolog. 4. Theologi, dum distinguunt varios status naturæ, potius supponunt ut certam, quam de ea disputent ut controuersa. Præsertim illam possibilitatem insinuant Caietanus 1. 2. qu. 85. art. 3. & qu. 109. art. 1. & ibidem Medina, & Conradus; idem Medina in præfatione ad materiam de Gratia, Sotus lib. 1. de Natura, & Gratia, cap. 3. quos secuti sunt recentiores communiter, ac præsertim Suarius citato Prolog. 4. cap. 7. Quarta sententia, quam ex profecto tribus libris de Statu puræ naturæ docuit, & probare conatus est Cornelius Iansenius, asserit puram naturam, hoc est simul innocentem, & nudam donis supernaturalibus explicatis, esse prorsus impossibilem, etiam de potentia absoluta Dei.

6. Porro vix credi potest, quanto impetu Iansenius contra possibilitatem puræ naturæ inuehatur. In præfatione horum trium librorum dicit statum puræ naturæ non solum Augustino, sed etiam antiquæ Ecclesiæ ignotum fuisse, nec nisi à gentilibus olim, & ab hæreticis obtrusum. Cap. 1. lib. 1. dicit Scholasticos asserendo hunc statum esse possibilem, procul à principijs Augustini immobilibus, quibus tota eius doctrina aduersus Manichæos, & Pelagianos incumbit, filium humanæ rationis potius, quam ecclesiasticæ traditionis consecrando, recessisse. In progressu verò operis addit plura his vehementiora.

7. Argumenta, quibus Iansenius vitur ad probandam impossibilitatem puræ naturæ, reducuntur ad nouem classes.

8. Prima classis desumitur ex amore Dei, & iustitiæ, & sic argumentatur. Creatura rationalis innocens non potest à Deo creari sine potentia amandi iustitiam, & Deum suum vltimum finem, & hoc principium probat lib. 1. cap. 3. sed omnis amor Dei, & iustitiæ, quæ iustitia est ipsemet Deus, est supernaturalis, ac haberi non potest sine dono supernaturali, ut probare contendit à cap. 4. vsque ad 9. inclusiuè; ergo creatura rationalis innocens creari non potest sine dono supernaturali. Quia verò Scholastici respondent Deum, & iustitiam non posse amari amore supernaturali sine dono supernaturali, at posse amari amore naturali sine dono supernaturali, ideo à cap. 10. vsque ad 14. impugnat hanc responsionem, & conatur probare sine dono, & gratia propriè dicta, & supernaturali, Deum, & iustitiam nullo amore honesto posse diligi. Quia verò ex eo, quod amor ille Dei, & iustitiæ sit debitus naturæ, videtur sequi, quod sit naturalis, & non sit gratia; (nam quod debetur, non est gratia) ideo à cap. 15. vsque ad 20. & vltimum libri, conatur hæc conciliare, explicando, quo pacto amor ille sit naturalis, vel supernaturalis, sit debitus, vel sit ex gratia.

9. Secunda classis argumentorum desumitur ex ultimo fine naturæ rationalis, qui finis est beatitudo consistens in contemplatione, & fruitione Dei, & sic argumentatur. Creatura rationalis non potest à Deo condi sine potentia consequendi suum ultimum finem, hoc est beatitudinem consistentem in contemplatione, & fruitione Dei; sed impossibile est, ut creatura consequatur hanc contemplationem, & fruitionem sine dono supernaturali, & sine gratia strictè dicta; ergo natura rationalis non potest creari innocens, ac nuda omnibus donis supernaturalibus. Hoc argumentum proponit, ac vrget lib. 2. cap. 1. & 2.

10. Tertia classis argumentorum desumitur ex beatitudine consistente in visione immediata Dei, ex qua lib. 2. cap. 3. & 4. sic argumentatur. Creatura rationalis innocens non potest à Deo excludi à Regno Cælorum, & à suo ultimo fine, hoc est à beatitudine consistente in visione clara, & immediata Dei, ut sæpe docet Augustinus; sed visio clara Dei est supernaturalis in omnium sententia; ergo creatura rationalis innocens non potest priuari omnibus donis supernaturalibus.

11. Quarta classis argumentorum desumitur ex tribus ad beatitudinem necessarijs, quæ sunt *non falli, non offendi, ac non mori*, ex quibus lib. 2. cap. 5. 6. 7. 8. & 9. sic argumentatur. Ad beatitudinem etiam naturalem, quæ naturæ rationali innocenti negari nequit, requiruntur tres conditiones, quæ sunt *non falli, non offendi, ac perturbari, & non mori*; sed homo sine dono supernaturali non potest liberari à miserijs errorum, quibus fallatur, perturbationum, quibus offendatur, & mortis, qua corpus corrumpatur; ergo homo innocens non potest priuari quolibet dono supernaturali.

12. Quinta, & sexta classis argumentorum desumitur ex impossibilitate faciendi actus bonos, & ex necessitate peccandi, quæ conuenirent homini in puris naturalibus constitutione, ex quibus lib. 2. cap. 10. sic argumentatur. Est impossibile, ut homo innocens creetur, & constituatur à Deo in statu, in quo non possit facere vllum actum bonum, & habeat necessitatem peccandi in singulis operibus; sed homo in pura natura, hoc est nudus omnibus donis supernaturalibus, non posset exercere vllum actum honestum, & haberet necessitatem peccandi in singulis operibus; ergo. Probat minorem. Ut enim docuit, & probare conatus est lib. 3. de natura lapsæ à cap. 3. vsque ad 9. inclusiue, homo in statu naturæ lapsæ sine dono supernaturali non potest exercere vllum actum bonum, & ut docuit eodem libro 3. à cap. 9. vsque ad finem libri, ac toto pene lib. 4. habet necessitatem peccandi in omnibus suis operibus; sed scholastici communiter fatentur, quod liberum arbitrium in natura pura non haberet maiores vires ad faciendum bonum, & ad declinandum à malo, quam habeat in natura lapsæ, ut præsertim docet Suarez tom. 1. de Gratia, Prolog. 4.

duobus vltimis capitibus; ergo &c.

13. Septima classis argumentorum desumitur ex concupiscentia, per quam pars inferior non est perfectè subiecta superiori, ut qua lib. 2. à cap. 11. vsque ad 21. inclusiue sic argumentatur. Concupiscentia, eiusque motus contrarij rationi non sunt boni, neque habent, aut habere possunt auctorem Deum, sed sunt mali, ac non possunt oriri nisi ex peccato, ut contra Iulianum docuit, & probauit Augustinus; sed natura humana non potest esse immunis à concupiscentia, eiusque motibus contrarijs rationi, nisi per donum supernaturale iustitiæ originalis, ut etiam diximus tom. 1. qu. 260. ergo homo innocens non potuit priuari quolibet dono supernaturali.

14. Octaua classis argumentorum desumitur ex ignorantia rerum iudicandarum, et iuris naturalis, & lib. 2. cap. 22. quod est verum, sic arguit. Ignorantia illa iuris naturalis, cum qua nunc nascimur, adeo est contraria naturæ rationali, & adeo mala, ut quod quid homo ex tali ignorantia facit contra naturale, sit peccatum; sed Deus non potest hominem innocentem cum hac ignorantia creare, alioquin crearet hominem malum, ad peccandum necessitatum; non potest autem homo à tali ignorantia liberari, nisi per donum supernaturale; ergo Deus non potest hominem innocentem creare in pura natura nudum omnibus donis supernaturalibus.

15. Confirmat argumentum: nam si possibile esset pura natura, Verbum diuinum protulisset hominem assumere in puris naturalibus; ergo protulisset hominem assumere concupiscentia rebelli rationi, & cum ignorantia iuris naturalis, quod est absurdum.

16. Nona classis argumentorum desumitur ex alijs miserijs præsertim corporalibus, quibus subiectus esset homo innocens in pura natura, ex quibus lib. 3. cap. 6. 7. & 8. sic arguit. Deus esset iniustus, si hominem innocentem tot miserijs, & calamitatibus premeret, quod de facto in natura lapsæ, & in natura pura esse subiectus, ut contra Pelagianos docet Augustinus; sed ab istis miserijs homo liberari non potest sine dono supernaturali; ergo Deus non potest hominem innocentem creare nudum omnibus donis supernaturalibus. Quod vero Valquez 1. 2. qu. 104. cap. 4. nu. 36. dicit *absoluta sua potentia efficere Deum posse, ut homo iniustus nunquam beetur, nec fruatur aeterna gloria, peccator non puniatur aeterno supplicio, quinimodetur aeterna beatitudo; & ibidem num. 30. dicit Deum sine iniustitia posse hominem voluntate sine aeternis cruciatibus mancipare, ac homini peccatum sine iniustitia quodcunque malum inferre, vel vltimum meritum culpæ, vel etiam sine culpa; ac Suarez opusc. de Iustitia sect. 5. num. 11. dicit Deum quilibet de nobis statuat, iure facere suo, etiam si perdat, damnet, in nihilum redigat; siquidem dominium habet absolutum, est supremus omnium dominus, & est auctor vitæ, & mortis.*

Lothius dicit: *Si Deus Beatos omnes, nullo excepto, aut ad æternas deiceret penas, aut redigeret in nihilum, nullam eis iniuriam inferret, cum ex illis sententijs à fortiori sequatur Deum potuisse homini innocenti miseras irrogare, quibus in natura pura esset subiectus, ideo primis quinque capitibus lib. 3. contra has opiniones acrius inuehitur, & cap. 2. 3. & 4. probare conatur peccatum non posse non puniri à Deo, ac in peccato manentem non posse esse beatum; cap. 5. conatur ostendere contrariam Augustino esse sententiam, quæ dicit Deum citra iniustitiam posse beatos omnes æternis cruciatibus addicere.*

17. Rursus quia Theologi communiter dicunt Augustinum, dum asserit Deum fore iniustum, si hominem innocentem tot calamitatibus, & miserijs subijceret, loqui ex suppositione status gratiæ & supernaturalis, cap. 9. hanc responsionem impugnat. Demum, quia aliqui, respondent Augustinum solum docere, quod Deus homini innocenti nullum malum possit inferre in penam, at non negare, quod possit inferre malum purè materialiter, cap. 10. & sequentibus vsque ad 13. inclusivè conatur ostendere Deum nullum malum, etiam materialiter inferre posse sine culpa, alioquin esset iniustus, & crudelis. A capite deinde 16. vsque ad 22. & ultimum libri tertij conatur solvere argumenta contraria: & cap. 16. respondet cuidam testimonio Augustini in Psalmum 70. cap. 17. 18. 19. & 20. responderet alteri testimonio eiusdem Augustini lib. 3. de libero arbitrio, cap. 20. & 21. cap. 21. respondet fundamento scholasticorum ex absoluto Dei dominio: cap. demum 22. respondere conatur, sed valde infeliciter, argumento desumpto ex Bulla Pij V. & Gregorij XIII. contra Baium, in qua damnatur hæc Baij propositio 53. *Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur.* Hæc est doctrina Cornelij Iansenij de impossibilitate puræ naturæ breui Synopsi ob oculos posita.

18. Ut hanc doctrinam impugnemus, & communem sententiam Theologorum tueamur, primo directè probanda est possibilitas puræ naturæ: secundo ostendendum est, Iansenij licet nomine neget puram naturam, esse possibilem, re ipsa docere naturam puram de facto fuisse in Adamo, & in Angelis, ac negare illos fuisse eleuatos per dona supernaturalia, & per gratiam propriè dictam.

19. Accedendum deinde est ad solutionem argumentorum. Et quia in illis tanguntur variae quæstiones, de ultimo fine totius vniversi, ac præsertim naturæ rationalis; de possibilitate amoris naturalis Dei, & virtutum naturalium; de possibilitate beatitudinis, naturalis consistentis in cognitione Dei purè abstractiua; de conditionibus ad beatitudinem naturalem requisitis, quæ sunt *non falli, non offendi, non mori*; de libertate, & viribus naturæ puræ ad faciendos actus moraliter bonos, & ad vitanda peccata: de concupiscentia, & ignorantia, quæ conuenirent homini in

natura pura; ac demum de mortalitate, ægritudinibus, & alijs miserijs corporalibus eiusdem; ideo singillatim has quæstiones examinans, communes opiniones scholasticorum defendam, & contrarias Baij, & Iansenij sententias refellam.

## QVÆSTIO XLIII.

*Ostenditur possibilitas puræ naturæ.*

1. **M**ultipliciter probari potest communis sententia ferè omnium Theologorum huius temporis de possibilitate puræ naturæ.

2. Prima ratio est. Si est impossibilis pura natura, & gratia habitualis, charitas, & alij habitus infusi non sunt dona propriè supernaturalia, sed vnicum datur donum propriè supernaturale, quod est vnio hypostatica; consequens est absurdum, cum auferat omnem gratiam supernaturalem; ergo &c. Probatur sequela: illud non est supernaturale, quod ita est debitum naturæ, vt sine illo natura creari non possit; e.g. quia Sol non potest creari sine luce, procul dubio lux non est supernaturalis Soli; sed per aduersarios multo minus angelus, aut purus homo potuit creari sine gratia habituali, alijsque habitibus infusis, quam Sol potuerit creari sine luce; Sol enim saltem de potentia absoluta potuisset creari sine luce, at purus homo, neque de potentia absoluta potuisset creari sine gratia habituali; ergo gratia habitualis, & alij habitus infusi non fuerunt dona propriè supernaturalia, sed sola vnio hypostatica est donum propriè supernaturale, cum fuerit ita indebita humanitati Christi, vt potuerit creari sine vnione hypostatica.

3. Confirmatur primo; nam quod est proprietas naturalis, non est donum propriè supernaturale; sed gratia habitualis, & alij habitus infusi fuissent naturales proprietates naturæ Angelicæ, & humanæ; ergo non fuissent dona propriè supernaturalia. Probatur minor; nam proprietates naturales naturarum sunt perfectiones accidentales intrinsecæ, & ita debite naturis, vt sine ipsis poni non possint; sed gratia habitualis, & alij habitus per aduersarios ita debentur naturæ humanæ, & angelicæ, vt neque de potentia absoluta potuerint sine ipsis poni; ergo essent proprietates naturales: & ex eadem ratione etiam integritas naturæ, per quam in Adamo ante peccatum caro fuit perfectè subiecta spiritui, immunitas à morte &c. fuissent proprietates naturales naturæ humanæ, non autem dona supernaturalia; ergo Adam per peccatum non fuisset spoliatus illis donis gratuitis, & supernaturalibus, sed solum donis debitis, ac naturalibus, & Christus per mortem suam non recuperasset nobis dona indebita supernaturalia, ac gratuita, sed sola dona debita, ac naturalia.